

August Varenius Theodor Olpkenius

Disputatio Theologica De Bonis Operibus

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741205947>


Druck Freier  Zugang



R. U. Med. 1657.

Varnius, August/a

Vert. Döpler, Rector



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
BONIS OPERIBUS.

Quam

Consensu & suffragio Venerandæ &
Amplissimæ Facultatis Theologicæ in flo-
rentissima Rostochiensis
Univerſitate

MODERATORE & AUSPICE
JESU CHRISTO,
SUB PRÆSIDIO

*Viri Plurimum Reverendi, Excellentissimi,
Clarissimi*

Dn. AUGUSTI VARENI, SS.

Theolog. ac Philosoph. D. dignissimi, Ling.
Orient. Professoris Ordinarij celeberrimi, Præ-
ceptoris, Fautoris ac Promotoris sui æviternum
summè venerandi,

Publicè ventilandam sistit

AUTOR & RESPONDENS

THEODORUS ÖLPKENIUS,

Brunsvicensis,

*Habebitur in Auditorio Majori ad d. 19. Apr.
horis Pomeridianis.*

✠(○)✠

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.
ANNO M, DC, LI,



VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, CONSULTISSIMIS, CLARISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS

DN. CONSULIBUS,
SYNDICO, CAMERARIIS,
SENATORIBUS ac DECEMVIRIS
Inclytæ BRUNSVICENSIS REIPUBLICÆ
Laudatissimæ, Patriæ meæ PROCERIBUS
grayissimis Promotoribus ac Patronis omni
observantiæ cultu æternum
devenerandis

Disputationem hanc Theologicam

Das

Dicas

Dedicas

THEODORUS ÖLPKENIUS,
Brunsvicensis.



Aud injuria de Pietatis studio malè merentur,
qui res in sacrarum literarum Pandectis apertas, luce veritatis clariori coruscantes obscuras reddunt, & tenebricosis, plus quam Cymmeriis τῶν ψευδομαθῶν caliginibus eas implicant & implicando propugnant ac defendunt. Qualia sunt prima & præcipua SS. Religionis capita, ad primè autem, **LOCUS DE BONIS OPERIBUS** ad quæ faciendâ Regenerati omnes debitores salutantur.

§ 1. Hæc doctrina, **SOLA FIDE** sine operibus justificamur, & salvamur, in S. S. est perspicua & plana. Apud nonnullos verò admodum obscura, intricata & controversa; partim apud Pontificios, partim Majoristas, aliosq; Hetherodoxos. Tota autem controversia in eo sita est; quod cum omnes fateamur summam bonorum operum necessitatem, Pontificij illam in articulo justificationis & salvationis habent ut causalem, quam O. B. causalitatem ab Orthodoxiâ excludimus ut heresim.

§. 2. Ceteri, non regnandi: sed viæ regni: non causæ: sed signi illam faciunt idq; non propter vitæ æternæ meritum: sed propter præsentiam & cum fide coexistentiam. Tutissimum tamen ab his abstinere omnibus quibus autoritas Scripturæ cordi: (1.) Quia pugnat cum forma sanorum verborum (2.) improbis Papistarum conatibus haud obscure patrocina- tur. (3.) pugnat cum doctrinâ de particulis exclusivis in Articulo justificationis Salvationis (4.) Phrasis ista præsumptionem & falsam opinionem de propriâ justitiâ & fiduciam propriæ dignitatis confirmat (5.) Illa ex Interreligionis formula prodivit & sic manifestos veritatis hostes autores habet (6.) Merito Christi absolute perfectionis & plenitudinis laudem derogat. (7.) Quia conscientis paridis hæc phrasis incertam facit salutis promissionem. Non autem p̄j turbandi sunt ne animi eorum evertantur, & εἰς τὴν ἰσωπείαν Φυλακὴν mittantur, Hutterus in lib. concord. q. 2. Art. 4. de bonis operibus p. 423. usq; 427.

§. 3. Nos autem ne nimium operibus tribuamus, in excessu peccando; neq; in defectu illis derogemus, mediâ viâ, quam Sacrae literæ tradunt, quo minus à sanctâ veritatis puritate & illâ ὑποκρίσει: & formâ Sanorum verborū Lutherana periculosissimè aberremus, incedemus. Ita tamen ut breviter & methodice totam rem, annexâ subindè definitione, ex quâ abhinc nostras formemus Theses, adumbremus. Sit itaq; resolutio Logica talis:

§. 4. **Causa efficiens primaria est Spiritus S.** Rom. 8. v. 10. **Instrumentalis est verbum Dei** 1. Petr. 1. v. 23. **Impulsiva** (1.) **Mandatum Dei** Ose. 10. 12. Matt. 5. v. 16. Eph. 2. 10. Philip. 4. v. 8. & Col. 1. 10. 1. Tim. 2. 10. & 2. v. 11. 12. (2.) **Laus Apoc.** 2. 19. (3.) **Remuneratio** Hebr. 6. 10. (4.) **Testificatio.** Apoc. 2. v. 2. 9. 13. 19. (5.) **comminatio** Gen. 4. v. 7. Esa. 3. v. 10. 11. Matth. 25. 41. 42. (6.) **Gratia & misericordia Dei** Tit. 2. 11. 12. (7.) **Exempla fidelium** Jacob. 2. 22. Act. 9. v. 36. c. 10. 2. Philip. 4. 9. 2. Tim. 1. 16. Tit. 2. 7.

§. 5. **SECUNDARIA** homo regeneratus 2. Cor. 5. v. 16. **FORMA** bonorum operum absolute consideratorum est **conformitas cum lege Dei** Deut. 12. v. 33. **Forma bonorum operum Evangelicè consideratorum est Fides** Rom. 14. v. 23. **MATERIA** eorum sunt præscriptum legis divinæ **Objecta** circa quæ versantur 1. Deus. 2. Nosmetipsi. 3. Proximus.

§. 6. **FINIS** tandem est **Gloria Dei** Matt. 5. v. 16. **Nostraq; erga Deum debita gratitudo** Rom. 8. 12. Tit. 3. v. 7. 8. **REQUISITA** sive **CONDITIONES** (α) ut præscripta à Deo Ez. 20. 19. Matt. 15. 9. (β) ut fiant secundū præscriptū verbi Dei Ps. 119. v. 105. (γ) ut fiant ex fide eâ sc. quâ certi sumus personam nostram & opera quæ præstamus placere Deo propter Mediatorem Rom. 14. v. 23. Hebr. 11. v. 4. 6. (δ) ut fiant ex charitate 1. Cor. 13. v. 1. 2. 3. (ε) **Ad Dei gloriam** 1. Cor. 13. Col. 1. 12. **PROPRIETATES** has vide in quæst. subseq. **EFFECTA** Coincidunt cum sine. **CONSEQUENS** (1.) **immunitas à Legis condemnatione & maledictione.** Gal. 5. 18. & 23. (2.) **Gloria, quæ bona opera consequitur** Rom. 2. v. 7. Apoc. 14. 13. **DIVISIO** est quod ea referatur, vel ad Deum vel ad nos ipsos vel ad proximum. **COGNATA** sunt 1. in quibus fides & bona opera conveniunt, in quibus discrepant. 2. ea quibus bona opera comparantur, comparantur autem rûm sacrificiis V. T. ac propterea sacrificia vocantur; tum sicubus atq; adeò fructibus bonis. **OPPOSITA** sunt 1. illi, qui bonum opus, quod præstatur à piis, reprehendunt Matth. 26. v. 8. 9. 10. Marc. 14. 6. Job. 12. v. 4. 5. 7. 2. **Occasionem captant calumniandi & accusandi nos aut nobis nocendi ex aliquo bono ope-**

re, E. C. Hostes Danielis Dan. 6. Judæi & Pharisei erga Christum Matth. 12. 13. 14. Luc. 6. v. 6. 7. & 13. 14. & 17. v. 3. 4. Joh. 5. v. 9. 16. 18. 71. 33. & 9. v. 14. 16. 3. illi quos cito poenitet bonum aliquod opus fecisse V. C. Hierosolymitani Jer. 34. 4. qui à studio bonorum operum recedunt vel illud negligunt Apoc. 2. v. 5. 5. segnes sunt in benefaciendo. 6. Illi, qui omnia opera quæ præstant, ad ambitionem & ostentationem referunt, ut Hypocritæ & infideles Matth. 23. v. 5. 7. Illi qui faciunt mala, ut eveniant bona Rom. 3. v. 9. 8. Qui sapientes sunt ad malè faciendum & ad benefaciendum ignorantes Jer. 4. v. 24. vel breviter: opera non sincera, Diaboli, carnis, facta Veteris Adami, Fructus non boni, botri amari, uræ venenosæ, vinum quod est venenum draconum.

Hisce jam suppositis, talem damus B. O. Definitionem: Bona opera sunt actiones internæ & externæ Spiritus S. ductu factæ, divinitus mandatæ, decalogò comprehensæ, quæ sunt à Renatis juxta normam Divinæ Legis, verà fide ad gloriam Dei & hominum ædificationem & ad nostram Deo declarandam tum obedientiam tum gratitudinem.

Quam definitionem dilucidiorẽ ut reddamus has subsequentes proponendi Theses nobis est animus: sit Ergò

Thes. I.

Bonorum operum appellatio est ambigua.

Ἐξήγησις

Non intelligimus hic Functionem Eccl. quæ bonum opus vocatur 1. Tim. 3. 17. Non vocationem ad communionem Evangelij, quæ eodem elogio insignitur Phil. 1. v. 6. non, ut metonymicè usurpantur Rom. 13. 3. Non opera ut Civiliter bona i. e. virtutes legib⁹ politicis præceptas, qualis est externa obedientia erga Magistratū. Sed intelligimus Actiones quæ operante Spiritu S. à Regeneratis, per fidem, secundum legem Dei fiunt ad gloriam Dei, fidei confirmationem & proximi ædificationem. Hac ratione B. O. considerata sumuntur 1. Aristè pro beneficiis in proximum collatis Matth. 26. v. 10. Marc. 14. 6. Marc. 10. 32. In latiori significatione pro actionibus illis Regeneratorum, generaliter consideratis & hæc est hujus loci.

Thes. 2.

Bona opera sunt Actiones & internæ & externæ Renatorum Spiritus S. ductu factæ.

Ἐξήγησις.

A 3

Quamvis

Quamvis enim solâ fide sine operibus salvemur, tamen illa fides non est sine operibus, nec enim est nuda quædam notitia, aut exterior quædam oris professio & jactantia, testimonio operum denudata, nec res mortua, sterilis, bonorum operum fructibus vacua; sed in operibus, viva, fructifera.

Dices: sunt bona opera dona Dei Rom. 5. v. 15. E. non actiones nostræ. Resp. 1. est fallacia ambiguitatis: varietas enim nominis non parit ipsius rei varietatem. Etsi igitur bona opera aliter atq; aliter vocantur E. G. sanctificatio, Renovatio, obedientia, justitia, novus homo, nova creatura in Christo: tamen istiusmodi voces Synonymæ rem tantum uberius explicant. 2. Quando B. O. vocantur donum Dei, non excluditur causa operans, sive mens sive voluntas hominis per Spiritum S. renovata. Aguntur quidem renati Spiritu Dei; sed ut ipsi etiam agant, non quidem naturalibus liberi arbitrii viribus, sed viribus novis à Spiritu S. donatis: inde etiam vocantur bona opera *ἔργα* 2. Cor. 9. v. 2. *ἔργα*.

Dices: Homines non possunt bona opera facere E. non sunt actiones. R. Distinguendo inter facere legale & Evangelicum. Facere legale non cadit in hominem, in hac vita, quia spiritualis est: nos autem carnales Rom. 7. v. 13. Facere Evangelicum est credere in Christum & legis obedientiam inchoare, atq; ita complectitur veram pœnitentiam & fidem, & sincerum pietatis studium.

Thef. 3.

Bona opera Deum habent autorem.

ἔργα.

Hoc B. O. studium nobis non adiaphorum, aut indifferens, ut atrocior Romanensium calumnia nostris ecclesiis affingere, satagit. Deus quidvis faciendi frænum non laxat renatis, sed serid vult, ut per fidem opera nostra declaremus Matth. 5. v. 17. 2. Cor. 1. v. 8. Gal. 5. 6. 1. Theff. 4. 7. Eph. 4. 12. Eph. 2. v. 20. In his enim bonis operibus divine debet esse conformis nostra voluntas.

Thef. 4.

Bona opera verè talia non sunt nisi quæ Deus præscripsit atq; præcepit.

ἔργα.

Nititur hæc assertio expressis scripturarum fundamentis Num. 15. 39.
& 40.

Et 40. Deut. 12, 8, 32. Jezech. 20. 19. Hinc consequitur, omnia quæ Deus non præcepit non esse bonum opus Deut. 4. Hic observa opera Ethnicorum honesta, omnia verè fuerunt bona, quippe quæ profecta ex luminis naturæ reliquiis post lapsum remanentibus, quorum beneficio discrimen optimè & honestorum & turpium noverunt, approbante id Paulo Rom. 1. v. 20. & c. 2. v. 18. At solummodò quæ substantiam factorum & in foro politico: Respectum enim absolutum talem, qui non ratione operis, sed personæ, modi, finis, sit ponderandus, si attendamus, certè omnia non renatorum Deo sunt תועבה.

Thef. 5.

Bona opera sunt cum lege Dei convenientia

Ἐξήγησις.

Hæc decisio constat definitione causæ efficientis, tum formalis B. O. efficiens causa Deus, spiritus S. cujus virtute renatus opera bona operatur 1. Cor. 12. 11. Formalis est ὀνομασία non absolute: sed evangelicè considerata. vide supra. Hic damnantur traditiones humanæ sive ἑτεροθρησκείαι sive cultus electi ab ipso homine ut ut bona intentione inventi Matth. 15. v. 9. Adversarij quæ hic obijciunt; ut 1. quod Patriarchæ sacrificaverint absq. mandato. 2. quod Christus probaverit ἑτεροθρησκείαν Mariæ Joh. 12. & peccatricis Luc. 7. 3. quod Deus acceperit quæ ex voto & spontè afferebantur Levit. cap. 7. v. 22. Num. 15. Deut. 12. 4. quod traditiones non contra legem. 5. quod fiant bona intentione. 6. quod ex charitate. 7. sine illis non potest Ecclesia gubernari, Vana sunt. Respondemus igitur ad singula & ad 1. quod Patriarchæ non destituti fuere mandato de sacrificando. Qui enim ob unius pomi esum ejecti erant ex paradiso, omnino verebantur, ne mactationibus iram Dei provocarent amplius. Ipse igitur Deus se voluit placari sacrificiis per & propter illum, quem sacrificia notabant. Sed quanquam Moses expresse non indicat mandatum Dei de sacrificiis, dicit tamen Deum consuisse vestes Protoplastis ex pellibus quæ procul dubio fuere hostiis detractæ & probabiliter hostiæ ipse à Deo immolari iussæ. Ad 2. Resp. disting. officia humanitatis & externa dilectionis signa à superstitiosis cultibus ad favorem promerendum inventis: illa fuerunt opera dilectionis & generis ratione in Lege divinâ contenta. Hæc autem Pontificiorum sive ἑτεροθρησκείαι ut; peregrinationes ad sepulturam Christi, sanctorum, accensio candelarum ad statuas, vita monastica & id genus alia, superstitionè adprimè, quia operationem meriti illis tribuunt. Ad 3. Quod oblationes spontaneæ gaudent autoritate legis ideoq. ἑτεροθρησκείαι quæ omni

verbo

verbo Dei desistuntur allegari non debent. Ad 4. Dicimus (α) non solum displicent Deo quæ sunt contra legem; sed etiam quæ assuuntur legi ad novum cultum Deo præstandum (β) Quæ rationem cultus divini habent & sunt præter legem Dei, eo ipso, quia sunt Deo non mandante, sunt etiam contra legem Dei. Ad 5. Non sufficit bonitas finis, sed & requiritur bonitas mediorum. Ad 6. Charitas cum neglectione vel falsatione conjuncta, non est vera sed ficta. Ad 7. Nego quod constitutiones Ecclesiasticæ in rebus adiaphoris sunt ejusmodi traditiones humanæ, quæ ipsum Dei cultum concernunt. Semper enim hic distinguendum inter ἐθελοθρησκείαν, εὐταξίαν, καὶ εὐσχημοσύνην.

Thef. 6.

Bona opera renatorum in hac vitâ sunt imperfecta.

ἐξήγησις.

Ad naturam B. O. Deo placentium tria requiruntur εὐσχεύμενα. 1. Persona renata. 2. Modus agendi ex fide. 3. Finis legitimis spectans Dei gloriam & Ecclesiæ proximæ commodum Hütt. in lib. Concord. art. 4. pag. 412. Quibus proinde operibus vel singula ista, vel unum tantum deest: illis nomen B. O. nullatenus competit. neq; tamen, ubi illa, ibi perfectio absoluta. Obj. (1.) quod non possint displicere naturæ autori bona opera ex lege naturæ promanantia (2.) quod ibi sæpe nostris majora (3.) quod poterunt hisce salvari. Ad hæc Resp. & quidem ad (1.) si sint sine adherentibus, prave concupiscentiæ sordibus, & abominandis peccati reliquiis. Ad (2.) distinguo virtutes legaliter & evangelicè consideratas. Potest enim unius virtus major esse quam alterius & contra: sed quia non est in gratia i. e. persona non placata Deo Ideo opera ipsius, qui reconciliatus, etsi minor videntur quam irreconciliatorum, tamen magis placent propter illum in quo est reconciliatio. Ad (3.) Affero quod sit thesis Puccij & Svinglij, qui multos gentiles inter ipsos & Herculem & Socratem collocavit in cælum. Sed quia impossibile est placere Deo absq; fide, ideoz merito à nobis illa thesis rejicitur.

Thef. 7.

Bona opera non sunt meritoria.

ἐξήγησις.

Pontificij contendunt B. O. justorum verè ac propriè esse meritoria ipsius vite æternæ, & præmia dari non gratis sed ex debito. Hoc meritum verò Scholastici faciunt vel congruum vel condignum. Distinguunt autem inter ope-

713

ra (1.) moraliter & spiritualiter (2.) Horum quatuor operum genera (α) viva (β) mortua (γ) mortifera (δ) mortificata. Hinc opera moralia bona statuunt esse meritoria ex congruo, quod deducunt vel à charitate vel operis arduitate vel hominis voluntate: spiritualiter facta ex condigno; quod Thomas quem Angelicum vocant Doctorem ex collatione operum malorum iudicat, sic inferens: sicut se habet culpa ad pœnam, ita opus virtutis ad præmium; Sed culpa ex Condigno meretur pœnam. E.

Opus virtutis meretur præmium ex Condigno.

Nos verò reiicimus hanc Papisticam assertionem ut impiam, & in operibus omnem fiduciam, contrarium propugnantes & præsertim hæc Scripturæ testimoniis inherentes Rom. 1. v. 18. c. 2. v. 2. 12. 13. c. 3. v. 9. & 19. ubi notanter dicitur quod totus mundus sit ὑπόδικος & jure damnatus. Est enim ὑπόδικος qui ad sui defensionem nihil habet quod adferat & v. 20. 21. v. 23. 24. 25. ubi Christus dicitur à patre propositus ut esset ἰδανήτοις per fidem in sanguine suos & cap. 3. v. 28. 29. & 31. c. 4. v. 2. & ibid. v. 4. 5. 6. 8. 16. & Luc. 17. v. 7. 8. 9. 10. In contrarium hic quæ obijci consueverunt nullo negotio diluuntur utpote 1. quod vita æterna sit merces Matth. 5. v. 12. 2. Operibus in scripturâ justitia & salus passim annectantur 3. quod fructus & finis sanctificationis Rom 6. 16. 4. quod fides bonum opus Formulæ Concordiæ p. 103. 5. quod pœnitentia salvamur & Confessione 1. Job. 1. 9 Rom 10. v. 10. 6. sint perfecta 1. Cor. 3. v. 5. Phil. 2. 13. 7. Locus Luc 11. v. 21. 2. Cor 12. v. 2. Sed Resp. & quidem ad 1. quod explicatur merces ut (α) χάρισματα (β) ut dicat non proportionem sed extremitatem. Ad 2. illa attributa sumenda omnia Evangelicæ. Ad 3. Ratione non meriti & efficientiæ, sed ordinis & simplicis consequentiæ. Qui enim habet sanctitatem finalem habet quoque vitam æternam, sed hanc non habet propter illam ut causam Ad 4. vid. num. Formulæ Concordiæ Fidem vocet bonum opus in prædicamento qualitatis: an relationis. Ad 5. Pœnitentia & confessio dicuntur salvare respectu actus principalioris fidei sc. quæ sola salvat. Pœnitentia autem & confessio hanc semper involvunt Ad 6. sunt (1) perfecta virtute DEI, (2) à causa principali argumentari ad perfectionem in causa minus principali, absurdum. Ad 7. Oratio non est imperativa: sed virtute indicativa, exprobratur enim sensu. Gebet immerhin ewer Almosen / ihr werdet sehen ob ihr durch solche schein Heiligkeit werdet rein seyn.

Thef. 8.

Bona opera non justificant.

Ἐξήγησις.

Quoties, an B. O. justificent, quaeritur, quaestio instituitur de Operibus nostris, quaecumq; antecedunt justificationem & quae nos asserimus de nostro, de quibus meritum ac debitum oriri possit. Hoc autem quia nullum, Negativam tenemus. Opera enim DEI in nobis justificandis antecedunt & sic de eis gloriari non possumus, nec ad eum operum B. numerum, quae nostra dici consueverunt, spectant. Idem iudicium esto operum, quavado dicimus quae cum justificatione conjunguntur, illa, aut Dei sunt aut nostra. De DEI operibus meritum nullum nobis elicimus ideog, de his quaest. non est. Non enim illa excludimus: si nostra sint opera sive Ceremonialia sive moralia, non justificant: quod discimus ex Paulo asserente quod ex sola fide nullis nostris operibus intervenientibus salvamur, & Christus nostrae salutis sit autor. Obijcitur ab Adversariis 1. Quod ut Dei auxilio possumus implere legem: sic eodem, ejusdem gratia, isdem operibus & salvari. 2. Testimonium exemplorum multos hisce salvatos, Job, Davidis Zachariae. 3. Test. Apostoli Jacobi quod negari non debet. 4. Ecc. 19. v. 18 5. Rom. 13. v. 12. Prov. 10 Col 3. v. 15. 6. quod credere in Christum sit actio, qua salvamur. Resp. ad 1 dicimur (1.) legem implevisse per gratiam Christi justitia imputativa. (2.) falsum est assumptum, nos implere legem posse; Lex enim spiritualis, nos carnales. Ad 2. Dist. inter justitiam facti & personae, illo, non hoc modo dicuntur sancti just. Ad 3. Jacobus intelligit (α) nec fidei nudam confessionem. (β) nec eam qua just. reddimur, sed declarationem, manifestationem justitiae. Ad 4. (1) Dist. inter primam & secundam justificationem falsa nititur hypothesis (2) illa procrastinatio penitentiae prohibetur (3) Etiam si hinc inde in scriptura de incremento sanctificationis praecepta inculcantur, non tamen in illis nostra justificatio ponitur. Ad 5. Dictum loquitur de charitate perfecta quam si quis perfectam haberet non opus ei salvatio esset. Ad 6. Dist. inter fidem in praedicatione, qualis, & Relat. consideratam. Fides non qualitate sua salvat, quae est opus aliquod; sed virtute & merito ejus quem apprehendit.

Thef. 9.

Bona opera sunt necessaria.

Ἐξήγησις.

Cum quaeritur B. O. an sint necessaria, id quaeritur, utrum nobis incumbat

bat pius. Dicimus E. B. O. non esse uno modo necessaria. Necessaria autem
 1. necessitate mandati. 2 Obsequij, quia Deo ut Redemptori & creatori debe-
 mus obsequi 3 Ordinis, ut enim inferior superiori obediat, justitiæ ordo requi-
 rit. 4 Consequentia, quia fidem B. O. sequuntur 5 Hypotheseos, quia bene
 agendum est nisi velimus excutere fidem. Contra, sic concluditur (1.) Quod Pau-
 lus ab illis abstinere prohibeat 2 Cor 9. v. 7 (2.) Quod sponte fieri debeant; vel
 fiant spontaneo spiritu (3.) Quod sit contra libertatem Christianam (4.) Quod
 Christus pro nobis satisfecit (5.) Quia in omni bono justus peccat mortaliter se-
 cundum Lutherum Resp. Ad (1.) Est fallacia ambiguitatis in vocabulo Necessi-
 tatis, quæ est vel violentiæ, coactionis, consequentis, immutabilitatis. Bona O.
 sunt facienda non ex necessitate coactionis ab invitis, sed necessitate consequen-
 tiæ spiritu spontaneo. Ad 2.) Hic dico: non necessitate coactionis, sed mandati,
 debiti &c. Vide supra Ad (3.) Disting inter libertatem spiritus & licentiam
 carnis. Hæc non est data in occasionem carnis Gal. 5. v. 13 liberati enim sumus
 à maledictione legis, non obedientiâ, vel à timore pænæ: non amore justitiæ. Ad
 (4.) Disting. inter obedientiam Christi & nostram, quam Deo debemus, illa
 est satisfactoria: hæc debiti, obsequij, declaratoria. Ad (5.) Dictum Lutheri lo-
 quitur de peccatis (α) infirmitatis antegressis: non regnantibus (β) De B. O.
 non ut sunt formaliter & suâ naturâ: sed respectu imperfectionis & immundi-
 ciæ Non deesset hic occasio de controversissimâ & superiori, & nostro seculo
 propositione, quæ bona opera ad salutem necessaria esse dicit, quædam adden-
 di: sed id nunc non permittit ratio instituti: addimus saltem, nos illam & simi-
 les propositiones velut ambiguas, Scripturæ contrarias, in F Concordiæ
 magno zelo explosas, improbare, & huic bono, rationes in
 Form. Concordiæ accuratè propositas nostras
 facere.



A 2


Ad

Ad Dn. RESPONDENTEM,
Disputantem
De Bonis Operibus.

Qui fructus fidei quâ sint ratione tuendi,
Disquis; fructus reddere perge bonos.

Cum gratul. & voto scrib.

Hermannus Schuckman/
Theol. D. Prof. Ducal, Con-
sistorij Assess.



Ad Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM
Amicum pl. dilectum.

Sle vigiles Rosidis Lunas, solesq; per-
actos

exseris, & tua jam nomina Varnus
habet.

Transacti ad Baltin tibi sunt feliciter
anni

nunc cathedræ specimen, non sine
fronde, paras.

Dum

Dum *novitatis opus*, fidei prænobile ger-
men,


respondens, sanctè, non *novitate* probas
Sic pergas, JESU, *Eusebicus*q; insistito verbis!
nec tua sit falsi labe notata fides

CHRISTIANO sit viva fides, haud nomen
inane:

Sola ut agat, sola haut est tamen alma
fides.

*Celerrimè inter occupationes
scripsi*

Augustus Varenius, SS.
Theol. D. Hebraicor. Prof.



Ad Præstantiss.

DN. RESPONDENTEM

Amicum & Convictorem præcharum.

IActantes plerosq; Fidem videas, sed inani
Incautos specie falli, larvata putanda est
Non genuina Fides, qua non stipata Bonorum
Fructu operum: Rite hoc Olpkeni pandere gestis.

B 3.

Per

*Per placet hoc studium, Te sospitet ipse JEHOVAH,
Ut Patriæ in servire queas feliciter, opto.*

Johannes Corfinius, Th. L.
Past. Mar. & P. P.



Dic mihi, quid PIETAS, quam tractas? quò
referunda?

Est, inquis, *Fidei* soboles germana, Sed audi:
Vix istam matrem, vix gnatam seu pietatem
Hâc ætate dabis, cui sanctior orbita sordet!

*In laudem pietatis & eruditionis Eximij
Dn. T. responsuri, cum voto beata
in Christo salutis, scripsi*

M. Bernhard Gosman.



Disputat Civis bonus atq; doctus
De bonâ veræ fidei Parentis
Prole: nî fructus ferat illa sanctos,
Mortua res est.


Gratu-

Gratulor tantis, Popularis, ausis,
Dum modum monstrans operum bonorum:

Plaude Musarum soboles, meiq;
Plaudite Cives,

De proper.

Ernestus Cregelius, Ultzâ-
Lunæburgicus, LL. Stud.





Theodorus Olpkenius Autor
R mutato in C.


Sudas; lucet honor operi tuo.

Illi sunt homines laudibus optimis
Ornandi meritò, qui simul exprimunt
Vitâ, quod calamo voceq; prædicant:
Olpkeni soboles sobria Palladis
Vitam, quam satagis ducere Nuxini,
Sat docto calamo voceq; vindicas.
In verbo Domini scâulus unicè
Dum sudas; operi lucet honor tuo.

Literatissimo D. Autori posuit
Johannes-Wilhelmus Gruelius.







Gratulor tantis, Populari
Dum modum monstrans
norum:

Plaude Musarum soboles,
Plaudite Ci

Deprop

Ernestus Cregeli
Lunæburgicus,



Theodorus Olpkenius
R mutato in C.

Sudas; lucet honor opo

*Illisunt homines laudibus op
Ornandi meritò, qui simul es
Vitâ, quod calamo voceq, pra
Olpkeni soboles sobria Palladis
Vitam, quam satagis ducere N
Sat docto calamo voceq, vind
In verbo Domini seculus unice
Dum sudas; operi lucet honor*

Literatissimo D. Auto
Johannes-Wilhelm

(o)

